

Mars & dominus loci eius, in quo fuerit, si fuerint in signo plurium filiorum, & dominus sui loci orientalis, significat multitudinem fratrum, maxime si ascendens non fuerit Leo uel Sagittarius, & Luna in eisdem.

Si signum tertiæ domus fuerit commune, & eius dominus in signo communi, significat natum habere fratres de patre tantum, sed non ex matre.

Ascendens nati si fuerit tertius gradus Scorpionis, ex sua matre natus non habebit fratres.

Mars si intrauerit combustionem, significat mortem minorum fratrum, & similiter paucitatem fratrum.

Si planeta malus, peregrinus in tertia extiterit, prædic fratrum paucitatem.

Mars fortunatus, & domini triplicitatis eius in bono & apto loco, & esse Solis, significant fortitudinem fratrum, & multitudinem foelicitatis eorum. At si fuerit mali esse, & similiter domini suæ triplicitatis, iudica infœlicitatem & malum.

Domini triplicitatis ascendentes cadentes, paucitatem fratrum denunciant, qui si fuerint in signis mediocriter fortunatis, mediocritatem fratrum denotant.

Vide in quem locum cadit pars fratrum, & ubi fuerit eius dominus. Nam de his erit iudicium, sicut de signo tertiæ domus, quia si testimonia eius erunt æqualia, erit certius & fortius iudicium. Et si diuersa fuerint, erit testimonium signi tertiæ, & eius domini certius & fortius, nam partes sunt ultimæ in testimonijs.

Dominus tertiæ domus, iunctus malis corporaliter, uel etiam malo aspectu, significat mortem fratrum, & destructionem eorum. At si fuerit iunctus foelicibus stellis, uel eorum aspectui, gaudium ipsorum & foelicitatem pronuncia.

Dominus primus triplicitatis tertiæ in ascendente, significat natum esse primogenitum matris suæ. Et si fuerit in decima uel quarta, erit similiter primus uel quartus. Et si in septima, erit primus uel septimus.

Si dominus domus fratrum fuerit in ascendente, significat natum illum (cui iudicium facis) esse primogenitum, aut solum. Et quando inter Ascendens & Medium cœli, non fuerit aliquis planeta, significat similiter quod natus est primogenitus, & si aliqui fratres nascentur post eum, destruentur, aut ipse semper erit maior & melior.

Saturnus uel Sol in aliquo angulorum in sua dignitate, Vel si dominus ascendens est aliquis trium superiorum, & est in tertia, uel dominus tertiæ domus aliquis inferiorum in ascendente, significat primogenitum.

Dominus tertiæ & pars fratrum, uel Iupiter, si fuerint in signis communibus, uel multorum filiorum, & fortunæ aspexerint eos amice cum receptione, significat primogenitum, & habebit fratres bonos ac potentes.

Dominus domus fratrum combustus, aut pars fratrum combusta, uel sol in domo fratrum, aut in opposito Iouis, significat paucos fratres, & quod destruentur & dispergentur.

Dominus domus fratrum in ascendente, significat primogenitum, uel erit solus.

Si dominus triplicitatis ascendens primus iungitur cum tertio in secunda, sexta, nona uel undecima, & aspexerit eos aliqua infortuna, uel non aspexerit, natus non habebit fratres, aut si habebit, morientur, & ipse solus restabit, aut exultabunt eorum locis, non solo manente domo.

Si fuerint Dominus domus fratrum & pars fratrum fortes in angulis, & in bonis locis non combusti, natus habebit multos fratres.

Natus habebit utilitatem à patribus, & econtra, si dominus tertiæ corporaliter iungitur parti fortunæ, uel eius domino in locis bonis.

Si Iupiter & Saturnus sint in domo fratrum cum Cauda, & Venus aspicit de quadrato, uel opposito, natus habebit anxietates pro fratribus suis.

Si Satur